



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opusculvm, De Vitis
Romanorvm Pontificvm**

Liutprandus <Cremonensis>

Mogvntiae, 1602

Cap. VI. S. Evaristvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11115

PONTIFICVM ROMANORVM. II

metropolitani dicantur, ordo tamen unus est, sed ipsa discretio non
minum discretionem indicat maiorum in prælatione iudicii, non
in potestate Pontificii. Romanam verò Ecclesiam primam sedem
vocat, quia B. Petrus & Paulus suo martyrio eam cæteris omnibus ^{Tres prima-}
prætulerunt. Secundam verò sedem esse apud Alexandriam dicit, ^{rie sedes.}
quia B. Petri nomine, & à Marco eius discipulo atq; Euangelista
consecrata est. Tertiam verò sedem apud Antiochiam, quia B. Pe-
trus, antequam Romanam veniret, illic habitauit, & Ignatium ibi
constituit Episcopum, & illic primum nomen Christianorum
nouellæ gentis exortum est. Accusatores autem & testes dicit esse
non posse, qui ante hesternum diem, aut nudiustertius inimici fue-
runt, ne irati nocere cupiant, vell læsi vlcisci se velint. Dicit etiā pro
meritis plebis sæpe pastores Ecclesiæ deprauari, ut procluius cor-
ruant qui sequuntur capite videlicet languescente facilis reliqua
corporis membra inficiuntur. Dicit etiam; si Doctor vel Pastor
Ecclesiæ à fide exorbitauerit, erit à fidelibus corrigendus, sed pro
reprobis moribus magis est tolerandus, quam distringendus, quia
Rectores Ecclesiæ à Deo sunt iudicandi.

A.cxxi.

CAP. VI.

S. EVARISTVS.

EVARISTVS, natione Græcus, ex patre Iudæo, Iuda nomine, de
ciuitate Bethlehem, sedit annos 9. menses 10. dies 2. Fuit autem
temporibus Domitiani & Neruæ, à consulatu Valentis, & Veteris,
vsq; ad Gallum, * & Bradum consules, sub quib. martyrium passus
est, 6. Kal. Nouæ. Hic ordinauit Episcop. 5. presbyt. 6. diac. 2. Hic in
suis decretis præcepit 7. diac. in vnaquaq; vrbe cōstituendos, ad cu-
stodiendū Episcopū, ne ipse in prædicatione ab insidiatorib. infeste-
tur, aut verbū veritatis quolibet genere detractionis pollui possit.

^{*} Braduan.

^a Hic etiam scriptum misit vniuersis Episcopis Africæ regio- ^{* epist. 1. ad E-}
nis, quod coniugium legitimum sit in omni Ecclesia habendum, ita ^{pisc. Afric.}
dicens. Aliter non fit legitimum coniugium, sicut à Patribus accepimus, &
sanctis Apostolis, eorumq; successoribus traditum inuenimus, nisi ab his qui
super ipsam feminam dominationem habere videntur, & à quibus custoditur,
uxor petatur, & à parentibus aut propinquioribus sponsetur, & legibus dote-
tur, & suo tempore sacerdotaliter, ut mos est, cum precibus & oblationibus à
sacerdote benedicatur, & à paronymphis, vt consuetudo docet, custodita & ^{* * consociata.}
seruata à proximis tempore congruo petita ^{* legib.} detur, & solenniter accipa-
tur, & biduo vel triduo orationib. vacent, & castitatem custodian. aliter verò
presumpta, non coniugia, sed aut adulteria, vel ^{* concubia aut stupra,} vel for- ^{* contubernia}
nicationes potius, quam legitima coniugia esse non dubitate, nisi voluntas pro- ^{* vota succar-}
pria suffragauerit, & ^{* nota succurrerit legitima.}

^{* dotetur.}

^b Hic idem in alia epistola, quam omnibus Episcopis per Aegyptum ^{b epist. 2.}

B 2

ptum

ptum morantibus scripsit, de Episcopo & Ecclesia dicens: Ecclesia iungitur Episcopo spiritualiter, velut sponsa carnaliter sposo. Et sicut vir non debet negligere vxorem suam, sed diligere, & castè custodire, & prudenter regere, ita & Episcopus debet Ecclesiam suam, & Ecclesia in omnibus obedire sicut vxor viro suo debet. Et sicut viro non licet dimittere vxorem suam, ita & Episcopo non licet dimittere Ecclesiam suam, absque ineuitabili necessitate, aut Apostolica, vel regulari mutatione, & alteri se ambitus causa coniungat. Et sicut vxori non licet dimittere virum, licet sit fornicatus, ut alterum eō viuente ducat, ita Ecclesia viuente Episcopo suo non potest alium superducere. De Episcopis verò infamatis, & à sedibus pulsis, in eadem præcepit, ut reuocentur, & integerrimè restituantur, & superducti, velut adulteri, eiificantur. His peractis, si quis aduersus eos querelam habuerit, inquirendum erit, & auctoritate Romanæ sedis terminandum. Qui non à plebe, aut à vulgaribus hominib. sunt arguendi, vel accusandi, licet sint inordinati, quia pro meritis subditorum disponitur à Deo vita Doctorum. Item inferius. Si qui sunt vituperatores, aut accusatores Episcoporum, vel reliquorum sacerdotum, non oportet eos à iudicibus Ecclesiae audiri, antequam eorum discussiatur estimationis suspicio, vel opinio, qua intentione, qua fide, qua temeritate, qua vita, qua conscientia, quoque merito, si pro Deo, aut pro vana gloria, aut inimicitiis, vel odio, aut cupiditate ista presumpserint, necne? Hec omnia sunt perscrutanda & diligenter pertractanda. Deus enim, ut nos à præcipitatæ sententiæ prolatione compesceret, quum omnia nuda sint & aperta oculis eius, mala tamen Sodomæ noluit auditæ iudicare, priusquam manifestè agnosceret, quæ dicebantur. Hic etiam decretum statuit de non iniuriandis, aut lacerandis Episcopis.

C A P. VII.

S. ALEXANDER.

A.cxxi.

^a epi.1. ad o-
mnies.^b q.4. c. hi qui.

ALEXANDER, natione Romanus, ex patre Alexandro, de regione caput Tauri, sedit annos 10. mensis 7. dies 2. Fuit autem temporibus Traiani usque ad Helianum & Veterem. Hie martyrio coronatur 5. nonas Maii. ^cHic præcepit de sacerdotibus non vexandis, aut scriptis ab eis vi aut metu, aut fraude aliqua non exigendis, ita dicens in epistola, quam omnibus orthodoxis Episcopis per diuersas prouincias commorantibus scripsit. Eorum accusandi Episcopos, vel testificandi in eos vocem obstruimus, quos non humanis, sed diuinis actibus mortuos esse scimus. Et inferius. A prædecessoribus nostris inhibitum legimus, ut nemo constringat Doctores, neque accusatio-

nem: